



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Hermenegildvs M. 13. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

sanguine stetit. Nam cum crescentem vitam & disciplinam Cynicam, ignorantiam hominis multoque magis caninam impudentiam offensus, publicis congressibus vicisset, ea res scilicet canem illum ad vindictam inflammavit. Nulla ratio perdendi IUSTINI aptior visa, quam si ut Christianum allatrasset. Exosum id nomen iterum esse coeperat & capitale. Ergo structae D. IUSTINO insidiae haud sancte nolenti, captus rogatusque Christianusne esset; affirmavit. desereretne sua sacra; renuit, Mortem subiret; voluit; id Christo mortalium severo iudici gratum, sibi utilissimum fore affirmans; ac mox cervice securi subjectam, vitam perdidit, perditurus, nisi perdidisset, Ex. Surio & Bayon.

Si unus omnium ad vitam introitus & similis exitus diligenter attenditur, varietas illa, qua versatur in medio, necesse est, ut tanquam volax fugacis somnii vanitas contemnatur. B. Dam. 1.7. Ep. 5.

S. HERMENEGILDVS · M.

13. Aprilis.

Ostendit HERMENEGILDVS, quando tandem negare obedientiam parentibus, etiam caelo arridente, liceat. Cum enim patrem haberet Leovigildum Wisigothorum Regem, & haeresi Arianae oppido addictum, ipse saniolem fidem a Praefule Leandro didicit. Sed veritas etiam apud parentem odium peperit. Hic enim cum laudibus debuisset, ferro filium oneravit, & anno libertatis Christianae D. LXXXIV. in carcerem dedit. HERMENEGILDVS, ut monstraret; quam non pensi regnum haberet, humanis rebus omnibus se abdicavit, purpuram cum cilicio mutavit, tempus omne inter vota ac supplicia transegit, demum e carcer

carcere templum fecit. Subinde ipsâ sacri Paschatis nocte captivum à parente subornatus Pseudoepiscopus adit, & ad sacrificium scilicet mensam invitat: sed HERMENEGILDVS fidenter negat se in potestate futurum, etiam in vinculis Catholicæ libertatis memor. Eapropter in successus Leovigildus, cum religione patrem etiam exiit, ejusque imperio cadit filius. securi caput diminutus, pulcherrima Paschæ victima, sed non à parente danda. Cæterùm Martyrem continuò è cælo voces iudârunt, & delapsæ indidem lampades exornarunt. Mox etiam piis manibus parens impius morte suâ parentavit, adductis post ad Catholicam Fidem omnibus Wisigothis. Ita pietas quam decollasse in HERMENEGILDO impia hæresis putavit, toto regno caput extulit. Ex S. Greg. M. l. 3. Dial.

Melius est contristare parentes, quàm contristare Dominum IESVM. Hic enim nos creavit & salvavit; illi sepe suos amando perdidertunt. Ne te moveant tuorum lacryma, ne tu tibi ipsi æternas lacrymas parias. S. Clim. Grad. 3.

S. THOMAS M. 14. Aprilis.

Nata est THOMAS Alexandriæ, à parentibus benè ac pudicè educata, & demum nuptiis tradita, ut antè Virginibus, sic Matronis postea præluxit. Sed rarò castitas inter multos habitat tuta. Ausus est socer, cujus in domo cum marito degebat, omnis juris atque adedò pietatis in filium oblitus, conjugalem in nuru fidem tentare. Cohorruit illa ad tam infanda, & monitis preces, precibus lacrymas addidit. At ille, cui pudorem non potest, vitam extorquet, mediamque, non auditâ